

1104, marzo, 23. Letrán

El papa Pascual II confirma la concordia entre el obispo Esteban de Huesca y el abad de Montearagón.

Paschalis episcopus seruus seruorum Dei canonicis ecclesie Ihesu Nazareni, salutem et apostolicam benedictionem. Officii nostri nos ortatur auctoritas pro ecclesiarum statu sollicitos esse et que ad earum quietem statuta sunt stabilire, quam ob rem concordiam illam que inter uenerabiles fratres Stefanum oscitane sedis episcopum et Eximinum canonicis uentre abbatem determinante karissimo filio nostro Petro aragonensium rege constituta est, nos Deo auctore firmamus et determinatam illic diuisionem ratam perpetuo manere decernimus, quam nimirum diuisionem supra dictus episcopus una cum clericis suis suscepisse et uestre domini Ihesu Nazareni canonicis concessisse cognoscitur, rex siquidem filius noster Petrus, Micera et Cellas et Alborge et Poiaciols terminos Monti Aragoni ablatos Osce restituit. Habeat itaque domini nostri Ihesu Nazareni ecclesia libere et ingenue decimas de terminis omnibus quos pro terminis pre-nominatis idem ipse reddidit. Quorum scilicet nomina in conuencionis membrano expresse sunt. Habeat simul et decimas de aliis terminis libere et ingenue quos Sancius bone memorie rex Monti Aragoni dedisse cognoscitur. Habeat etiam libere et ingenue quatuordecim²¹¹ ecclesias in quibus episcopus quartam obtinet decimarum et medietatem decimarum ex regalibus tributis, idest Loar et Boleia et Aierb et Lopinnen et illa almu-nia et Arobres et Petraselz et Bespen et Lauata et Arbanies et Septimo et Sancta Eulalia et Iubluc et Sieso. Sane de ipso Sieso uilla decimas rega-lium tributorum integras ecclesia domini Ihesu Nazareni possideat. Ceterarum decimarum quartam **tantum** episcopus accipiat. Quoniam pro Arinno²¹² et Salellas a uestro aragonensi abbate Sessam per commuta-tionem²¹³ suscepit episcopus. Exceptis uero quindecim uillis in quibus ecclesie sunt episcopi de tota alia terra inter duo flumina libere et ingenue medietatem decimarum et ecclesiarum domini Ihesu Nazareni canonica,

²¹¹ Copia 622/20: *quatuordecim.*

²¹² Ídem: *Arinio et Saliellas.*

²¹³ Ídem: *Comutationem.*

medietatem ecclesia oscensis obtineat. Sicut in eodem scripto est terrarum annotata diuisio. Ex ipsarum autem quindecim uillarum distinctione de Placenza, de Anzano, de Iecada, de Idries, de Apies, de Li*e*nas, de Saliellas de senior Blascoarcez²¹⁴ regalium tributorum decimas episcopus abeat. Ecclesia uero domini Ihesu Nazareni de Quinzano, de Lierta, de Nisano, de Arascuas, de Banastas, de Liesa, de Aguas, de Casoas, de Sieso libere et ingenue. Quintarum regis decimas episcopus et ecclesia Ihesu Nazareni de Monte Aragone eque, per medium diuidant. Decimas uero reddituum ex iusticiis et conuenientiis et omicidiis eiusdem urbis et termi-no eius episcopus et eius canonici suscipiant siue placitatio in eadem urbe de supradictis causis sit abita **siue** extra. Decimationes autem redditum de iusticiis et conuenientiis quibuscumque et omicidiis qui redduntur pro culpis seu quilibet causis extra urbem uel eius terminos perpetratis, eccle-sia Ihesu Nazareni de Monte Aragone perpetuo habeat, siue placitatio in eadem urbe de supradictis causis sit abita, siue extra. De laborantiis uero regis si rex uel eius successores alicui²¹⁵ inde aliquid dederit ecclesia Ihesu Nazareni de Montearagone decimationes²¹⁶ semper inde accipiat cuius decimationis quartam partem abebit²¹⁷ episcopus. Porro ecclesias omnes sue possessionis habeat per gratiam domini Ihesu ecclesia Ihesu Nazareni liberas et ingenuas tam ubi modo sunt ecclesie quam ubi future sunt, saluo in eis iure episcopali uidelicet basilicarum et altarium consecratione et clericorum ordinatione, si ea impendere gratis et sine prauitate uoluerit. Preterea quicquid hodie in eodem oscitano episcopatu predicta ecclesia Ihesu Nazareni possidet firmum semper ei ac stabile conseruetur. Hec omnia sicut in supradicte conuentionis pagina continentur nostre assercionis robore confirmamus ut nemini deinceps facultas sit hec in deterius ali-quo modo commutare uel ex his²¹⁸ quicquam²¹⁹ prefato domini Ihesu Nazareni cenobio subtrahere, auferre, minuere. Quod qui presumserit Sancti Spiritus iudicio et apostolice sedis animaduersione multetur.

²¹⁴ Copia 622/20: *Bl[asc]o Garcez.*

²¹⁵ Ídem: *aliqui.*

²¹⁶ Ídem: *decimationem.*

²¹⁷ Ídem: *habebit.*

²¹⁸ Ídem: *is.*

²¹⁹ Ídem: *quicquam.*

Ego Paschalis catholice ecclesie episcopus huic concordie consensi et confirmo²²⁰.

Datum Laterani per manum Iohannis sancte romane ecclesie diaconi cardinalis. X kalendas aprilis, indiccione XII. Anno Dominice Incarnationis M^o C^o V^o. Pontificatus quoque domini Paschalis secundi pape V^o.

*AHN. Clero. Montearagón. Carp. 622, n.ºs 19 y 20. Copias del siglo XII.
Publica Kehr, Papsturkunden..., doc. 23, pp. 303-306.*